

illustrem dominum comitem dom. Ferdinandum de Andrada virum profecto et bello Parthenopeo et aliis insignem, ac in navali pugna satis expertum, auctoritate, ingenio et dexteritate præclarum, et cum eo nonnullos alios inferiores armorum ductores et capitaneis deputaverat, quique classis talibus ac tantis muniatur militibus, quod poterit Sanctitas Sua tuto maria sulcare, quod annonæ copia pro temporis maxima fertilitate vili iam ubilibet prætio reperitur, et quod nulla alia re magis quam navium penuria detinemur, et si triremes Italiæ nobis non defuissent, iam, ut opinor, carbasa ventis dedissemus, et quod ego interim non desino calcaribus calcaria addere, ita quod ne opinione quam de me Dominationes Vestrae Reverendissimæ pro bonitate sua conceperant deesse videar, proprios lares haut procul ab hac curia distantes hactenus visitare non sum ausus, ne Dominationum Vestrarum Reverendissimarum iussa me hinc absentem reperire possent. Quibus me etiam atque etiam humiliter commendando.

Cæsaraugustæ, die 22 Maii 1522.

E. V. Rev. D. humillissimus servus et m-
cipium

B. SCALAM.

Sanctissimus Dominus noster noluit quod præsentium lator Bernardinus Florentinus alias litteras cum suis, præter meas, isthuc veheret.

A tergo: Sacrosancto reverendissimorum dominorum meorum S. R. E. Cardinalium senatui, dominis observandissimis.

192 *Copia Brevis S. D. N. Hadriani VI in Summum Pontificem electi, ad Sacrosantum Cardinalium Collegium.*

193^v *Copia Brevis S. D. N. ad Sacrum Collegium Cardinalium.*

Venerabiles fratres nostri salutem et apostolicam benedictionem.

Quinta huius mensis dedimus ad circumsp-
ctiones vestras, quas et paucis post diebus replica-
tas alia via misimus, quibus eisdem circumsp-
ctionibus vestris gratias egimus, ob conceptam de
incolumitate nostra lætitiā, et supplicationes ea
de causa istic publicæ privatimque celebratas. Ex-

(1) La carta 192* è bianca.

plicavimus item quam molestum nobis fuerat de
urbis Romæ curiæque Romanæ ac Status ecclesia-
stici totiusque Italiæ perturbatione intelligere, et
quod nobis non minus ardens esset desiderium
quam circumsp-
ctionibus vestris istuc celerrime ad-
volandi, eamque ob causam post biduum vel triduum
Barchinonam versus iter arripere decrevisse; quæ
summatim repetere volumus, si forte litteræ ipsæ
propter viarum discrimina intercidissent. Nunc vero
causam explicavimus, cur discessum nostrum ex hac
urbe usque modo distulerimus. Igitur cum præ-
missis sarcinis iam quasi pedem in itinere posituri
essemus, et Barchinone commeatus, qui nobis et
hiis qui nos sequuntur in paucos dies quibus ibi-
dem interea, dum naves per nos conductæ ex di-
versis stationibus in unum congregarentur, sufficere
poterant, paratos haberemus, et Illerdæ, qua nobis
transeundum erat, præmissis magnæ auctoritatis vi-
ris id ipsum providissemus, ecce significatur nobis
utramque civitatem peste laborare. Sumus coacti,
mutato proposito, ne scilicet præter nostrum et 193^v
nostrorum periculum contracta a classe labe etiam
Italia inficeretur, alium locum portumque minime
infectum quærere, quo, præmissis commeatibus, pro
morula paucorum dierum quibus naves ex diversis
locis conveniant necessarii, statim nos conferre,
et inde quamprimum traicere possimus, videre
possunt, ex his et aliis quæ prius scripsimus cir-
cumsp-
ctiones vestrae, quam varia se nobis pro co-
gnitam nostri electionem impedimenta obtulerint,
quæ impatientissimum desiderium nostrum Italiam
et urbem Romam adeundi retardarunt. Nam, ut
omittamus quod dilectos filios nostros Legatos a
Sacro Collegio vestro designatos ut ad nos veni-
rent, per multos dies expectavimus, primum fe-
ellit nos spes, quam de capetano galeaciæ Venetia-
rum certissimam conceperamus, cuius navis quam
diu in portu quodam Cantabriæ ex mandato vice-
regum Castellæ detineretur, nec modum videret
quo nisi sub umbra nostra relaxari posset, promisit
ille nobis usum navis suæ ad iter nostrum, iamque
quatuor mensium stipendium a thesaurariis nostris
acceperat; at ubi a charissimo in Christo filio nostro
Carolo Romanorum rege in Imperatorem electo in-
tellexit se non declaratum hostem, et alia via quam
per obsequium nostrum evadere posse, omnem spem
nostram quam in eo collocaveramus destituit, ac
redditis quæ acceperat, iter quo voluit et prout ei
placuit arripuit. Insuper, polliciti fuerant nobis mer-
catores genuenses caracas et alias quasdam naves
suas ex Genua absque omni dubitatione brevissime